

dæ carnis concupiscentiæ causâ à quibuslibet cibis temperare, quia non eis permittitur superstitiosè atque infideliter facere.


37. Hi verò qui de paginis evangelicis a
26. q. 2. Hi
qui sortile-
gi.
sortes legunt, etsi optandum est ut hoc potius faciant, quàm ad dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.

CAP. XXI. 38. HÆC tibi si satis esse ad ea, quæ requisisti, non putaveris, nimis ignoras & vires & occupationes meas. Tantùm enim absum ab eo, quod putasti nihil me latere, ut nihil in epistola tua legerim tristius; quia & apertissimè falsum est: & miror quia hoc te latet, quod non solùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura quàm sciam. Sed ideo spem in nomine Christi non infructuosam gero, quia non solùm credidi Deo meo, in illis duobus præceptis totam legem Prophetasque pendere, sed etiam expertus sum, experiorque quotidie; quandoquidem nullum mihi sacramentum, aut aliquis sermo admodum obscurior de sacræ litteris aperitur, ubi non eadem præcepta reperiam. *Finis enim præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non*

a Inter Capitularia Regum Francorum, in tertio Capitulari anni 789. extat capitulum IV. *Ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortire præsumat, nec divinationes aliquas observare: id quod antè fuerant concilia, Agathense anni 506. can. 42. Aurelian. ann. 511. can. 30. Antissiodorensis ann. 578. can. 4. Quoniam autem modo fieret istud sortilegii genus per libros civinos, addisces ex V. C. Stephani Baluzii notis in idem capitulum.*

non ficta; & Plenitudo legis caritas. Rom. 13.

39. Itaque & tu, carissime, sive ista sive 10.
alia, sic lege, sic disce, ut memineris verissimè dictum: *Scientia inflat, caritas ædificat.* 1. Cor. 8. 1.
Caritas autem non æmulatur, non inflat.
Sic itaque adhibeatur scientia tamquam machina quædam, per quam structura caritatis adsurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur; quæ ad finem caritatis adhibita multùm est utilis; per se autem ipsa sine tali fine, non modò superflua, sed etiam perniciosa probata est. Scio autem quàm te cogitatio sancta custodiat sub umbraculo alarum Domini Dei nostri. Sed ideo hæc, etsi breviter, monui, quoniam novi eandem ipsam caritatem tuam, quæ non æmulatur, hanc epistolam multis daturam atque lecturam.



IN SUBSEQUENS OPUS,

LIBRI II.

RETRACTATIONUM

CAPUT XXXIV.

Eodem tempore librum de Unico baptismo amicus quidam meus à nescio quo donatista presbytero accepit, indicante quòd Petilianus episcopus eorum constantiniensis eum scripserit. Hunc ad me ille adtulit, ac
ve-

vehementer, ut ei responderem, rogavit: & factum est. Librum autem etiam meum, in quo respondi, eundem titulum habere volui, hoc est, *De Unico baptismo*. In quo libro illud quod dixi, Constantinum imperatorem donatistis criminantibus ordinatorem Cæciliani Felicem aptugnensem, non negasse accusationis locum, quamvis eos in Cæcilianum fictis criminibus calumniosos fuisset expertus; in ordine temporum ^a postea consideratum aliter inventum est. Nam prius memoratus imperator causam Felicis fecit audiri à * Proconsule, ubi legitur absolutus; & postea ipse Cæcilianum cum accusatoribus ejus auditum comperit innocentem, ubi eos expertus est in ejus criminibus calumniosos: qui ordo temporum per consules declaratus, multò vehementiùs in ea causa calumnias donatistarum convincit, penitusque subvertit: quod * alibi ostendimus. Hic liber sic incipit: *Respondere adversa sentientibus*.

* Bellano.
Vide infra
in Appen-
dices.

* Lib. post
Collat. c.
33.

^a Hinc liquet subsequentem *De Unico baptismo* librum prodidisse ante annum 412. Nam in breviculo Collationis die 3. cap. 24. quem breviculum circiter finem anni 411. confecit, significat Augustinus jam tum esse ex Gestorum inspectione deprehensum errorem illum. Præterea nihil toto hoc libro de Collatione carthaginiensi, quæ anno 411. die 1. Junii habita est cum donatistis, ipso etiã, in quem liber hic scriptus est, præsentate Petiliano.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE UNICO BAPTISMO
CONTRA PETILIANUM,
AD CONSTANTINUM,
LIBER * UNUS.

* Scriptus
circiter an-
num Chris-
ti 410.

Petiliani librum de unico baptismo, quod ille in sola vera Ecclesia, imò in sola Donati parte esse contendebat, refellit Augustinus. Docet unicus baptismi etiam in hæreticis repertam veritatem approbandam esse, non violandam. Ad Cypriani martyris & aliorum ex Africa, qui cum ipso aliter sensisse objectantur, episcoporum auctoritatem respondet. Neminem in Ecclesie unitate maculari alienis peccatis, ex ipsius Cypriani facto probat contra donatistarum schisma. Postremò Petiliani calumnias Melchiadi & aliis quibusdam catholicis episcopis illatas propulsat.

I. **R**ESPONDERE adversa sentientibus, & à regula veritatis errantibus, Constantine frater, sæpissime cogimur, etiam de his rebus, quas aliis atque aliis sermonibus frequentavimus. Quod utiliter existimo fieri,
&